

# PROPRIUM MISSARUM

## DICÉCESIS CONCORDIENSIS

### FESTA JANUARII

Die 9 Januarii.

S. JULIANI Martyris.

Missa In virtute, de Comm.  
unius Mart. non Pont., Evang.  
Nihil est opertum, ex Missa  
Lætabitur.

Oratio.

**D**eus, qui beatum Julianum  
Màrtyrem tuum, virtute  
constantiae in passione robo-  
rasti: ex ejus nobis imitatio-  
ne tribue pro amore tuo pro-  
spera mundi despicere et nulla  
ejus adversa formidare. Per Do-  
minum.

Die 14 Januarii.

B. ODORICI MATTHIUSSI  
Confessoris.

Introitus.

Gen. 12. 1.



gredere de terra tua, et  
de domo patris tui, et  
veni in terram, quam  
monstrabo tibi. (T. P. Alleluja,  
alleluja).

Psal. 116. Laudate Domi-  
num, omnes gentes: laudate  
eum, omnes populi.

V. Gloria Patri etc.

Oratio.

**D**eus, qui ad multos Orientis  
populos in Ecclesiæ si-  
num perducendos Beatum Odo-  
ricum invicta animi fortitudine  
et constantia roborasti: conce-  
de propitius; ut infidelium a-  
nimæ, diabolica fraude deceptæ,

ipsius meritis gloriōsis a suis tenebris eruantur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses

1. Thess. 2. (2-9).

**F**ratres: Fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulatio[n]is, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis: cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix fo[re]veat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam carissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.

Graduale. Luc. 4-18. Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

v. Psal. 72. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum est: pone[re] in Domino Deo spem meam. Alleluja, alleluja.

v. Isai. 52. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Alleluja.

In Missis post Septuagesimam, omissis Alleluja, et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Psal. 95. 3. 5. Annuntiate inter gentes gloriam Domini, in omnibus populis mirabilia ejus.

v. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

v. Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.

Tempore Paschali, omissis Gruaduale et Tractu, dicitur:

Alleluja, alleluja.

v. Isai. 52. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem. Alleluja.

v. Eccli. 46. 6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique: et audivit illum magnus et sanctus Deus. Alleluja.

**X** Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

Matth. 9. 35-38.

In illo tempore: Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Offertorium. Psal. 66. 6-7. Confiteantur tibi populi omnes, et metuant eum omnes fines terræ. (T. P. Alleluja).

Secreta.

Pro christianæ fidei triumpho, oblationem mundam salutaris hostiæ, tibi offerimus, Domine: et præsta; ut intercedente Beato Odorico Confessore tuo, ubique gentium jugiter offeratur. Per Dominum.

Communio. 1. Cor. 1. 21. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. (T. P. Alleluja).

Postcommunio.

Vitali sacramento refecti, clementiam tuam, Domine, humiliter deprecamur: ut Beati Odorici meritis et intercessione,

ad lucem, quæ Christus est, infideles universi perducantur. Per eumdem Dominum.

## FESTA FEBRUARII

Die 13 Februarii.  
Ss. FUSCÆ Virg. et MAURÆ  
Martyrum.

Missa Me expectaverunt,  
de Comm. Virg. et Mart.  
Oratio.

D a nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctorum Fuscæ Virginis et Mauræ Martyrum tuarum palmas incessabili devotione venerari; ut, quas digna mente non possumus celebrare, humiliibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Die 16 Februarii.  
S. JULIANÆ  
Virginis et Martyris.  
Missa Loquebar, de Comm.  
Virg. et Mart. cum Orat. seq.  
Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius, ut qui beatæ Julianæ Virginis et Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

## Die 17 Februarii.

Ss. DONATI,  
SECUNDIANI, ROMULI  
et Soc. Mm. Concordiensium.

Introitus. Psal. 78.

**T**antret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. (Alleluja, alleluja.)

Psal. ibid. Deus venerunt gentes in æreditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

V. Gloria Patri etc.

## Oratio.

**D**eus, qui mirabilis es in sanctis tuis, concede propitius, ut sanctorum martyrum tuorum Donati, Secundiani, Romuli et Sociorum, quorum præsidio munimur, virtutem imitemur. Per Dominum.

Lectio libri Apocalypsis  
beati Joannis Apostoli.

Apoc. 7.

**I**n diebus illis: Respondit unus de senioribus, et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tri-

bulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte, in templo ejus: et qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Graduale. Exod. 15. Gloriosus Deus in sanctis suis: mirabilis in majestate, faciens prodigia.

V. Dextera tua Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicos. Alleluja, alleluja.

V. Eccl. 44. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt: et nomina eorum vivent in generatione, et generationem. Alleluja.

Post Septuagesimam omissionis Alleluja et versu sequenti, dicitur Tractus.

Psal. 125. Qui seminant in lacrymis in gaudio metent.

V. Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.

V. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Tempore Pachali, omittitur

Graduale et ejus loco dicitur  
Alleluja.

V. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secuta est, inclyta tenens regna cælestia. Alleluja.

V. Te martyrum candidatus laudat exercitus, Domine. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 21

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis prælia et seditiones, nō te terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et consequentur, tradentes in synagogas, et custodias, trahentes ad reges, et præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et

morte afficien ex vobis: et eritis odio omnibus propter nomem meum: et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Dicitur Credo in Cathed. tantum.

Offertorium. Psal. 67. Mirabilis Deus in sanctis suis. Deus Israël ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Alleluja.

Secreta.

**D**ivino illo igne, quæsumus Domine, cor nostrum ardeat, quo Spiritus sanctus sanctorum martyrum Donati, Secundi, Romuli et Sociorum corda divinitus inflammavit. Per Dominum... in unitate ejusdem Spiritus etc.

Communio. Sap. 3. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos, tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausta accepit eos. (Alleluja).

Postcommunio.

**A**d cælestem mensam clementer admissi supplices te Domine, deprecamur, ut sanctis martyribus tuis Donato, Secundiano, Romulo, et Sociis intercedentibus, ad vitæ æternæ gaudia pervenire mereamur. Per Dominum.

**FESTA MARTII**

Die 16 Martii.

Ss. HILARII Episcopi  
et TATIANI Diaconi Mm.

Missa Intret in conspectu tuo,  
de Comm. Plurim. Mart. cum  
Evang. ex Missa Sapientiam,  
et Orat seq.

Oratio.

**B**eatorum Martyrum Hilarii  
Episcopi et Tatiani Dia-  
coni nos, quæsumus Domine,  
festa tueantur, et eorum com-  
mendet oratio veneranda. Per  
Dominum.

Et fit Comm. fer Quadr.

Die 27 Martii.

S. RUPERTI Episc. Conf.

Missa Sacerdotes tui, de  
Comm. Conf. Pont.

Et nisi transferatur post Do-  
minicam in Albis, fit Commem.  
(in Missis privatis tant.) de S.  
Joanne Damasc. Conf. et Doct.  
necnon fer. Quadr.

**FESTA APRILIS**

Die 12 Aprilis.

S. ZENONIS Episc. et Mart.

Missa Statuit, de Comm.  
unius Mart. Pont.

Tempore Paschali Missa  
Protexisti.

Oratio.

**D**eus, qui beatum Zenonem  
Martyrem tuum atque  
Pontificem catholicæ fidei pro-  
pagatorem eligere dignatus es:  
præsta quæsumus; ut, ipso pro  
nobis interveniente, a peccato-  
rum nostrorum maculis mundati,  
sinceris tibi mentibus placere  
mereamur. Per Dominum.

Die 27 Aprilis

S. LIBERALIS Confessoris.

Missa Os justi, de Comm.  
Conf. non Pont. cum Orat. see.

Oratio.

**D**eus, qui nos beati Libe-  
ralis Confessoris tui glo-  
rioso patrocinio circumdas et  
protegis: concede propitius; ut  
cujus intercessione munimur in  
terris, ejus quoque consortio  
perfruamur in cælis. Per Do-  
minum.

Et fit Commem. (in Missis  
privatis tantum) S. Petri Ca-  
nisii Conf. et Eccl. Doct. (in  
perpetuo simplif.) nisi Titularis  
transferatur.

Die 28 Aprilis.

S. VITALIS Martyris.

Ut in Missali hac ipsa die.  
Fit Commem. (in Missis

privatis tantum) S. Pauli a Cruce Conf. nisi Titularis transferatur.

---

## FESTA MAJI

Die 4 Maji.

S. GOTTHARDI

(seu Godehardi) Ep. et Conf.

Missa Sacerdotes tui, de Comm. Conf. Pont.

Fit Commem. (in Missis privatis tantum) S. Monicæ Viduæ.

---

Die 4 Maji.

S. FLORIANI Martyris.

Missa Protexisti, Oratio Præsta... ut qui, Evang. Ego sum vitis, ex Missa Sancti tui.

Extra Temp. Pasch., Missa In virtute, Evang. Si quis venit, ex Missa Statuit.

Fit Commem. (in Missis privatis tantum) S. Monicæ Viduæ.

---

Die 16 Maji.

S. PEREGRINI Ep. et Mart.

Missa Statuit, de Comm. Pontif. Martyris.

Temp. Pasch. Missa Protexisti, Oratio Infirmitatem.

Fit Commem. (in Missis privatis tantum) S. Ubaldi Ep.

et C., nisi transferatur Festum Titularis ob impedimentum occurrens.

---

Die 25 Maji.

S. URBANI

Papæ et Martyris.

Ut in Missali hac ipsa die. Fit Commem. (in Missis privatis tantum) S. Gregorii VII. Pp. et C., nisi Festum Titularis transferatur ob impedimentum occurrens.

---

## FESTA JUNII

Die 4 Junii.

S. QUIRINI

Episcopi et Martyris.

Missa Sacerdotes Dei, Evang. Si quis venit, ex Missa Statuit.

Fit Commem. (in Missis privatis tantum) S. Francisci Caracciolo Conf.

---

Die 6 Junii.

B. BERTRANDI

Patr. Aquilejens. Conf.

Missa Sacerdotes tui, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beatum Bertrandum pro Ecclesiæ suæ

juribus ad mortem usque certantem invicta pastorali fortitudine roborasti: præsta fidelibus tuis; ut ad pietatis et religiosis constantiam ejusdem informantur exemplis. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Norberti Ep. et Conf.

### Oratio.

**D**eus, qui beatum Norbertum Confessorem tuum, atque Pontificem, verbi tui præconem eximum effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti: præsta, quæsumus; ut, ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

### Secreta.

**S**acra dona, quæ tibi, Domine, reverenter offerimus in commemoratione beati Bertrandi, Ecclesiæ tuæ libertatem tueantur, et pacem et sanctificationis nostræ incrementa promoteant. Per Dominum.

Secreta pro S. Norberto.

**S**ancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificant: ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum.

### Postcommunio.

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut in honorem beati Bertrandi celebrata

mysteria ejus virtutum imitatores, et tua protectione nos dignos efficiant. Per Dominum.

### Postcommunio pro S. Norberto.

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Norberto Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Die 22 Junii.

### S. NICETÆ Episcopi et Confessoris.

Missa Sacerdotes tui de Comm. Conf. Pont.

### Oratio.

**E**xaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: et, qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Et fit Comm. S. Paulini Episc. et Conf.

### Oratio.

**D**eus, qui omnia pro te in hoc sæculo relinquenteribus, centuplum in futuro et vitam æternam promisisti: con-

cede propitius; ut, sancti Pontificis Paulini vestigiis inhærentes, valeamus terrena despicere, et sola cælestia desiderare. Qui vivis et regnas.

## Secreta.

**S**ancti Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut, per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

## Secreta pro S. Paulino.

**D**a nobis, Domine, perfectæ caritatis sacrificium, exemplo sancti Pontificis Paulini, cum altaris oblatione conjungere: et beneficentiæ studio sempiternam misericordiam promereri. Per Dominum.

## Postcommunio.

**D**eus, fidelium remunerator animarum: præsta; ut beati Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

## Postcomm. pro S. Paulino.

**T**ribue nobis per hæc sancta, Domine, illum pietatis et humilitatis affectum, quem ex hoc divino fonte hausit sanctus

Pontifex tuus Paulinus: et, ipsius intercessione, in omnes, qui te deprecantur, gratiæ tuæ divitias benignus effunde. Per Dominum.

## Die 26 Junii.

## S. VIGILII

## Episcopi et Martyris.

Missa Sacerdotes Dei, de Comm. unius Mart., præter Orat. sequentem.

## Oratio.

**D**eus, qui hunc diem beati Vigilii Martyris tui atque Pontificis sanguine consecrasti: da, quæsumus; ut ejus meritis ab omnibus muniamur adversis, et æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum.

Et fit Commem. (in Missis privatis tantum) Ss. Joannis et Pauli Mm.

FESTA JULII

## Die 4 Julii.

## S. ULDARICI

## Episcopi et Confessoris.

Missa Sacerdotes tui, de Comm. Conf. Pont.

Die 12 Julii.

Ss. HERMAGORÆ  
Protoepiscopi Aquileiensis  
et FORTUNATI Diac. Mm.

Missa Intret, de Comm.  
urim. Mart., præter Orat. seq.

Oratio.

**D**eus, qui hodierna die beatorum Martyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati multiici facis celebritate gaudere: bue quæsumus, eorum nos mper piis defensionibus muri, et orationibus adjuvari. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Joannis ualberti Abb.

Oratio.

ntercessio nos, quæsumus,  
Domine, beati Joannis Ab-  
tis commendet: ut, quod no-  
is meritis non valemus, ejus  
trocino assequamur. Per Do-  
num.

Deinde Commem. Ss. Na-  
boris et Felicis Mm.

Oratio.

**D**ræsta, quæsumus, Domine:  
ut, sicut nos sanctorum  
artyrum tuorum Naboris et  
licis natalicia celebranda non  
serunt; ita jugiter suffragiis  
mitentur. Per Dominum.

Secreta.

**M**unera humilitatis nostræ,  
Domine, quæ pro sanctorum  
Martyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati gloriosa  
passione, et solemnitate offerimus: quæsumus clementiam  
tuam, respicere dignare; et ipsorum intercessione, tam ad  
profectum vitæ, quam animæ,  
salutaria nobis consueta miseratione provenire concede. Per  
Dominum.

Secreta pro S. Joanne.

**S**acris altaribus, Domine,  
hostias superpositas sanctus Joannes Abbas, quæsumus,  
in salutem nobis provenire deposcat. Per Dominum.

Secreta  
pro Ss. Martyribus.

**M**unera plebis tuæ, quæ-  
sumus, Domine, sanctorum  
Martyrum tuorum Naboris et Felicis fiant grata suffragiis:  
et, quorum triumphis tuo nomini offeruntur, ipsorum digna  
perficiantur et meritis. Per Dominum.

Postcommunio.

**S**umentes, Domine, cælestis  
dona mysterii, quæsumus;  
ut sanctorum Martyrum tuorum  
Hermagoræ et Fortunati adjuvemur  
meritis, quorum solemnitatem celebрамus. Per Dom.

Postcommunio  
pro S. Joanne.

**P**rotegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Joannes Abbas, pro nobis intercedendo: ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum.

Postcommunio  
pro Ss. Nabore et Felice.

**N**ataliciis Sanctorum tuorum, quæsumus, Domine: ut, sacramenti munere vegetati, bonis, quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per Dominum.

Die 14 Julii.

S. PHOCÆ  
Episcopi et Martyris.

Missa Sacerdotes Dei, de Communi Martyr. Pont.

Et fit Commem. (in Missis priv. tant.) S. Bonaventuræ Ep. C. et Eccl. Doct.

Die 15 Julii.

SS. REDEMPTORIS

Introitus. Isaiæ 61, 10.

 **G**audens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me.

Psalmus 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem.

v. Gloria Patri etc.

Oratio.

**D**eus, qui Unigenitum tuum mundi Redemptorem constituesti, et per eum devicta morte, nos misericorditer ad vitam reparasti: concede, ut hæc beneficia recolentes, tibi pertetua caritate adhærere et ejusdem redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum nostrum.

Et fit Commem. S. Henrici Imper. Conf.

Oratio.

**D**eus, qui hodierna die beatum Henricum Confessorem tuum e terreni culmine imperii ad regnum æternum transstulisti: te supplices exoramus; ut, sicut illum, gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti, ita nos facias, ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Ephesios. c. 1.

**B**enedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cæle-

stibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo.

**Graduale.** Psal. 85. Omnes gentes, quascumque fecisti, ve-nient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt Nomen tuum.

**V.** Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Alleluja, alleluja.

**V.** Psal. 73. Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Alleluja.

**T** Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem c. 3.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut om-

nis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum uni-genitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æterna. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.

Credo.

**Offertorium.** Salus populi ego sum, dicit Dominus, de quacumque tribulatione clama-verint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Deus in perpetuum, Alleluja.

Secreta.

**S**uscipe, quæsumus, Domine, oblatum redemptionis æternæ mysterium, et præsta, ut Unigeniti Filii tui gloriose meritis intercedentibus vivific et nos semper et muniat. Per eumdem Dominum.

Secreta pro S. Henrico.

**L** audis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sactorum: quibus nos et præsentibus exui malis confidimus et futuris. Per Dom. Præfatio de Cruce.

**Communio.** Ps. 106. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum, alleluja.

## Postcommunio.

**C**orporis tui sacri ac pretiosi sanguinis, quo redempti sumus, Domine Jesu Christe, participes effecti: quæsumus, ut in nobis tua munera tuearis, atque a præsentis vitæ malis ereptos, ad bona perducas sempiterna. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Postcommunio.  
pro S. Henrico.

**R**efecti cibo potuque cælesti Deus noster, te supplices exoramus: ut in cuius hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum.

Die 20 Julii.

S. MARGARITÆ  
Virginis et Martyris.

Missa Me exspectaverunt, de Communi Virg. et Mart. 2 loco, cum Orat. pariter de Communi.

Et fit Commem. (in Missis priv. tant.) de S. Hieronymo Aëmiliani Conf.

## FESTA AUGUSTI

Die 3 Augusti.

## IN INVENTIONE

S. STEPHANI Protomart.

Titularis Eccl. Cathedr.

et Patroni Diœcesis.

Ut in Missali. — Dicitur Credo.

Die 4 Augusti.

IN DEDICATIONE  
ECCLESIAE CATHEDRALIS

Missa Terribilis. In Miss. privatis fit Commem. S. Dominici C. Dicitur Credo (Oratio Secreta sine parenthesi extra Cathedralem).

Die 5 Augusti.

## S. OSWALDI

Regis et Confessoris.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. cum Orat. seq.

Oratio.

**O**mnipotens sempiterne Deus qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam in beati Oswaldi Confessoris tui solemnitate consecrasti: da cordibus nostris tui amoris augmentum, ut cuius pia merita veneramur in terris, illius in cælo patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Et fit Commem. (in Missis priv. tant.) S. Mariæ ad Nives.

Die 11 Augusti.

S. SUSANNÆ  
Virginis et Martyris.

Missa Loquebar, de Communi Virg. et Mart., Oratio Deus, qui inter cetera. (De S. Tiburtio nihil).

Die 16 Augusti.

S. ROCHI Confessoris.

Missa Justus, de Communi Conf. non Pont. cum Orat. seq.

Oratio.

**P**opulum tuum, quæsumus Domine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animæ et corporis contagione securum. Per Dominum.

Ubi S. Rochus est Titularis, festum S. Joachim Patris B.M.V. transfertur in diem sequentem, cum Commem. S. Hyacinthi C. (dupl. simplif.) Quod si solemnitas S. Rochi celebretur tantum ex devotione cum magno concursu populi, standum est Rubricis Missalis et Regulis appositis in Kalendario curr.

Die 29 Augusti.

S. SABINÆ Martyris.

Missa Me exspectaverunt, de Communi Mart., cum Oratione Deus, qui inter cetera... ut, qui beatæ Sabinæ Martyris tuæ etc.

In Missis priv. tant. fit Commem. Decoll. S. Joannis Bapt. Pro Oration., Secret. et Postcomm. vide in Missali hac ipsa die.

## FESTA OCTOBRIS

Die 1 Octobris.

S. REMIGII

Episcopi et Confessoris.

Missa Statuit, de Communi Conf. Pont.

## FESTA NOVEMBRIS

Die 3 Novembris.

S. JUSTI Martyris.

Missa In virtute, Evang. Si quis venit, ex Missa Statuit.

Die 6 Novembris.

S. LEONARDI Confessoris.

Missa Justus, Evang. Sint lumbi, ex Missa Os justi.

Die 16 Novembris.

IN DEDICATIONE

PROPRIÆ ECCLESIÆ

(in Ecclesiis Consecratis Diœcesis, excepta Cathedrali).

Missa Terribilis. - Dicitur Credo.

Die 22 Novembris.

S. MAURI Martyris.

Missa In virtute, Evang.  
Si quis vult, ex Missa Sacer-  
dotes Dei.

Et fit Commem. (in Missis  
priv. tantum) S. Cæciliæ Virg.  
et Mart.

Die 30 Decembris.

S. ANASTASIÆ Martyris.

Missa Me exspectaverunt,  
de Communi Martyrum non Vir-  
ginum, præter Orat. seq.

Oratio.

**O**mnipotens sempiterne Deus,  
qui beatam Anastasiam  
Martyrem tuam in flammis tibi  
canentem gloriose coronasti  
triumpho: concede nos, ejus in-  
tercessione, caritatis igne ita  
incendi in terris, ut in cælis  
tuas laudes perpetuo canere me-  
reamur. Per Dominum.

Et fit Commem. Octavæ  
Nativit. Domini.

Oratio.

**C**oncede, quæsumus, omnipo-  
tens Deus: ut nos Unige-  
niti tui nova per carnem Nati-  
vitas liberet; quos sub peccati  
jugo vetusta servitus tenet. Per  
eumdem Dom.

Secreta.

**A**ccipe, quæsumus Domine,  
munera dignanter oblata:  
et beatæ Anastasiæ Martyris, ad  
nostræ salutis auxilium prove-  
nire concede. Per Dominum.

Secreta  
pro Octava Nativ. Domini.

**O**blata, Domine, munera,  
nova Unigeniti tui Nati-  
vitate sanctifica; nosque a pec-  
catorum nostrorum maculis e-  
munda. Per eumdem Dominum.

Postcommunio.

**S**atiasti, Domine, familiam  
tuam muneribus sacris: ejus  
quæsumus semper interventio-  
ne nos refove, cuius solemnia  
celebramus. Per Dominum.

Postcommunio  
pro Octava Nativ. Domini.

**P**ræsta, quæsumus, omnipo-  
tens Deus: ut natus hodie  
Salvator mundi, sicut divinæ  
nobis generationis est auctor;  
ita et immortalitatis sit ipse  
largitor. Qui tecum.

Imprimatur

Portugruarii, die 1 maji 1957.

Sac. L. BRAVIN Vic. Gen.

# INDEX

## JANUARIUS

- |                         |      |   |
|-------------------------|------|---|
| 9 S. Juliani Mart. . .  | pag. | 1 |
| 14 B. Odorici Conf. . . | »    | 1 |

## FEBRUARIUS

- |                             |   |   |
|-----------------------------|---|---|
| 13 Ss. Fuscæ et Mauræ . .   | » | 3 |
| 16 S. Julianæ V. M. . .     | » | 3 |
| 17 Ss. Martyr. Concord. . . | » | 4 |

## MARTIUS

- |                                     |   |   |
|-------------------------------------|---|---|
| 16 Ss. Hilarii et Tatiani Mm. . . . | » | 6 |
| 27 S. Ruperti Ep. Conf. . .         | » | 6 |

## APRILIS

- |                             |   |   |
|-----------------------------|---|---|
| 12 S. Zenonis Ep. Mart. . . | » | 6 |
| 27 S. Liberalis Conf. . .   | » | 6 |
| 28 S. Vitalis Mart. . .     | » | 6 |

## MAJUS

- |                            |   |   |
|----------------------------|---|---|
| 4 S. Gothardi Ep. M. . .   | » | 7 |
| 4 S. Floriani Mart. . .    | » | 7 |
| 16 S. Peregrini Ep. M. . . | » | 7 |
| 25 S. Urbani Papæ M. . .   | » | 7 |

## JUNIUS

- |                           |   |   |
|---------------------------|---|---|
| 4 S. Quirini Ep. M. . .   | » | 7 |
| 6 B. Bertrandi Ep. C. . . | » | 7 |
| 22 S. Nicetæ Ep. C. . .   | » | 8 |
| 26 S. Vigilii Ep. M. . .  | » | 9 |

## JULIUS

- |   |      |    |
|---|------|----|
| 4 S. Uldarici Ep. C. . .                | pag. | 9  |
| 12 Ss. Hermagoræ et Fortunati Mm. . . . | »    | 10 |
| 14 S. Phocæ Ep. M. . .                  | »    | 11 |
| 15 SS. Redemptoris . . .                | »    | 11 |
| 20 S. Margharitæ V. M. . .              | »    | 13 |

## AUGUSTUS

- |   |   |    |
|---|---|----|
| 3 Invent. S. Stephani Titul. Cathedr. . . | » | 13 |
| 4 In Dedic. Eccl. Cathedr. . . .          | » | 13 |
| 5 S. Oswaldi Conf. . . .                  | » | 13 |
| 11 S. Susannæ V. M. . .                   | » | 14 |
| 16 S. Rochi Conf. . . .                   | » | 14 |
| 29 S. Sabinæ Mart. . . .                  | » | 14 |

## OCTOBER

- |                         |   |    |
|-------------------------|---|----|
| 1 S. Remigii Ep. C. . . | » | 14 |
|-------------------------|---|----|

## NOVEMBER

- |  |   |    |
|--|---|----|
| 3 S. Justi Mart. . . .                     | » | 14 |
| 6 S. Leonardi Conf. . .                    | » | 14 |
| 16 In Dedic. Omn. Eccles. Consecrat. . . . | » | 14 |
| 22 S. Mauri Mart. . . .                    | » | 15 |

## DECEMBER

- |                           |   |    |
|---------------------------|---|----|
| 30 S. Anastasiæ Mart. . . | » | 15 |
|---------------------------|---|----|